

Eundem Solem Philo, Iudæorum doctissimus, ait:

Φλογὸς ὄν πύλημα πολλῆς, Οκυδρομότατος
γέγονε τῶν ὄντων.

“Flammæ cum sit compactio multæ, Ocyssimus
entium est factus.”

Chaldæorum ergo prius, Hæbræorum postea Græcorum postremo sapientiorum hoc dogma fuit. Ignea esse astra, et Solem. Idque rectissima, uti diximus ratione, quando nimirum: cælum quoque, cuius partes densiores, ipsa astra sunt, sit ignis. Ignem autem cælum esse Moses quoque asseruit, ipsa vocis, qua cælum nominat significatione, appellatur enim asciamain; hoc est igneum et aqueum. Illud quod luceat, hoc vero quod transluceat, et ante Mosen Chaldei, cælum purum esse lumen, seu lucem docuere, idque totius cœli esse substantiam. Lucem autem et ignem pro re eadem acceperunt, ob eam rationem, quam post innumera secula Plato postea explicavit, quando ait.

Deum ex igne et terra cæpisse mundi corpus constituere. Cur autem ex igne rationem reddidit, dum inquit:

“Separatum ab igne, nihil unquam visile fiat.
Hanc autem ignem qualis esset expressit.

Lucem φῶς, accendit Deus circa secundam a terram circulationem. De Sole intelligens, quem et λαμπρότατον καὶ λευκοτάτον, fulgentissimum, et candidissimum appellat. Quasi ignis et φῶς, lux, et Sol, et fulgor, et candor eadem res esset.

Sed quia ignis, non solum lucem, verum etiam calorem habet innatum, de calore quia postea erit agendum, demonstrationes reliquas, quod astra ignea sint, in illud tempus differamus. Hoc tantum memoria retinentes, vetustissimos illos, rerum contemplatores, Aristoteli nondum addictos, ignem, lucem, astra pro eadem re accepisse, rationibus iis quas adduximus, aut aliis permoti. Et veriore longe sententia, quam sit in Peripato, qui docet calorem et lumen fieri in aere, atrito aere, ab astrorum latione. Namque id, et in aere, et in æthere est falsissimum. Quis enim aer in æthere ateritur? Quis in aere aer ateritur, ita ut luceat? Nam et noctibus tenebrosissimis etiam luceret, et longissimus, quandoquidem iis non minus quam interdiu, astra circumferuntur. Sed hi sensum præ cæteris professi, plerumque nullo sensu, sepississime contra sensus omnes philosophantur. Astra autem ignes esse, ipse ostendit sensus, ex ignium nostrorum effectibus, qui syderum effectibus sunt uniformes: nam flammæ nostræ, et anthraces accensi, si non proxime, sed spacio aliquanto conspiciantur, figuram orbicularem, radiis coronatam representant, ita ut stellæ appareant re vera. Quando item vel anthraces, vel lecythi extinguuntur, dum in eo extinctionis actu sunt, ad instar stellæ radiusculos emittunt. Sed et calor, qui a sole ad nos descendit et radiis vehitur, rem eandem comprobat. Solem scilicet, et astra omnia, præter unam forte Lunam, esse ignes. Sed de calore, uti diximus, postea. Concludamus ergo, longe quam Astronomi, quam Peripatus, et verius et firmiter, sydera omnia, propriis, quæque lucibus corruscant, et in propriis iacere lucibus, et quod ex his sequitur. Omnia in luminibus quoque iacere alienis, attamen sociis, atque cognatis. Totus enim æther, omnium siderum luminibus impletur, et collucet. Non enim Sol tantum unus æthera universum suo replet lumine. Sed stellæ quoque singulæ proprium a se in æthera fundunt lumen quaquaversum, et circa se, et supra et infra se. Nihil enim huic fusioni, aut diffusioni obstat. Nam sicuti Sol, in partes omnes, ad latera, ad supera; ad infera omnia, ultra